

DE SANCTO STEPHANO HUNGARIAE PROTOREGE

Protorex noster, vir usquequaque *perfectus*, iam a milibus fere annis verus Hungarorum *Apostolus*, *Pater patriae*, eximius *rex catholicus* et inclitus *Ecclesiae Sanctus* in Hungaricae nationis memoria vivus perseverat. Quod quidem optimi historiographi nostri Hungaricis et exteris historiae fontibus innixi validissimis quoque scientificis argumentis in *Annalibus* ab Hungarica Scientiarum Academia Beati Stephani glorificationis novies saeculari iubilaeo editis comprobarunt atque confirmarunt.

Nobilissima Ducum nostrorum *Álmos* et *Árpád* suboles, immortalis autem Principis *Géza* et coniugis eius *Sarolta* dictorum filius Sanctus Stephanus¹ post medium saeculum X (anno fere 969) in antiquissima Strigoniensi natus est arce,² quam exinde Hungarorum milia spiritu religionis patriaeque amore piis peregrinationibus celebrare consueverunt, ut in adversis eiusdem nationis, quam perpetuam profecto Europae martyrem dixeris, consolationem, vires et animum quaerent rectamque, qua sibi incedendum esset, viam invenirent.

Tota viri, statura mediocris atque robusti, suae vero gentis Apostoli et patris, revera regia persona *culturam*, *serietatem*, *sapientiam*, *bonitatem*, *fortitudinem*, profundissimam *pietatem* ardentemque suae *gentis amorem* respirabat: ita ut usquequaque *vir perfectus* esset.

Cultura ipsius regum Occidentis culturam adaequabat vel eidem in multis etiam antecellabat. *Serietas* eius omnibus nota erat. Ipse raro subridebat.³ Magnus Rex, qui in iis, quae religionem, res politicas, sociales et oeconomicas attinent, integrae na-

tionis vitam transformare, regni vero sui pro futuris quoque millenniis fundamenta iacere illudque veluti solidissimum organismum eisdem superstruere satagebat: admirabili *sapientia* futuram gentis suae sortem praeparabat, in quo quidem studio suos conlaboratores prudenter semper seligere consueverat.⁴

Pro immenso hocce labore, quo regnum veluti vivum organismum construere maluit, diuturna pace opus esse compertum habebat. Unde optimus *Princeps pacis* fieri voluit, qui cum gentis suae proceribus communis eiusdem sanguinis, cum exteris autem principibus (Italiae, Galliae, Belgii, Germaniae, Bohemiae, Poloniae, Orientis etc.) itemque cum Apostolica Sede catholicae praesertim religionis vinculo fraternam necessitudinem quaerebat, inveniebat, inventamque fovere nunquam cessabat.⁵ Quam quidem necessitudinem praeter multiplices parentelae nexus lingua quoque, quam optime callebat, Latina, incomparabilis eius hospitalitas et in rebus oeconomicis etiam proba ipsius moneta, quae in omnibus fere Europae regionibus recepta erat, maximopere promovebant. In aedificando et construendo toto regni sui organismo Divus Stephanus non modo fidei praeconum verum etiam immigrantium in Hungariam aliorum hospitem, itemque in occupato iam regni territorio relictorum populorum opera uti studuit, Hospites plurimi aestimavit; compluribus ex ipsis ius quoque civitatis Hungaricae donavit, quo quidem civitatis iure maximisque adiectis eidem privilegiis ipsos ad Hungarorum utilitatem patriae inseruit⁶ ita ut ingravescentibus temporibus eisdem quoque niti valerat.

Verum peculiarem cordis *bonitatem* et indulgentem *magnanimitatem*⁷ iustitiae semper innixa *virtute*,⁸ pacis vero amorem *fortitudine* raraque strategorum dotibus intra et extra pius Rex coniunxerat.⁹

In Sancto Stephano *amor patriae cum religione, religio autem catholica cum amore patriae* intime cohaerebat. Vir rationabiliter religiosus fidei morumque veritas a Deo revelatas non tantum theoretico modo admisit, sed etiam modo practico: cum enim adhuc esset puer, S. Adalberto itemque Deodato ducibus et magistris¹⁰ coepit quaerere Deum et fecit quod beneplacitum erat

ante faciem Domini. Labores arduos, incepta difficiliora vel fatalia piis semper orationibus praeveniebat; pro felici vero laborum exitu piis pariter precibus et bonis operibus Deo gratias reddidit. Cum pia coniuge sanctam duxerat vitam; Emerici Ducis, qui filius eius thronique heres erat, educationem Gerardo sapientissimo atque vitae sanctitate distincto monacho Benedictino commisit, eam tamen et ipse verbo et exemplo magnopere promovit. Die Beatae Mariae Virginis in caelos assumptae festo et sub Eius protectione sacrorum Antistites regnique Proceres suos consiliarios in comitia coegit.¹¹ Curas regias quotannis in ecclesia abbatiali Sancti Martini coram Deo deposuit.¹² Quoniam, autem ex fide et ratione compertum habuit eundem Deus nationibus finem praefixisse earumque fata sua providentia moderari, qui singulos homines vitae caducae tramite ad finem aeternum ordinaverat, in bonum nationis propriae admirabili harmonia coluit religionem catholicam de cuius veritate intime persuasus erat, itemque patriae amorem, in quo nemini unquam Hungarorum cessit. Cum porro plane persectum haberet cives Hungaros, e quibus ipsa natio coalescit, indigentias spirituales semper habituros esse, ideo etiam religionem divinitus conditam, qua iisdem indigentis satisfieret, eadem ratione semper necessariam fore non dubitavit. Quod quidem eo vel magis, quia deficiente eiusmodi religione neque vera libertas subsistere valet: „Iniquitates enim suae capiunt impium, et funibus peccatorum suorum constringitur”.¹³ Ubi eiusmodi religio desideratur, neque boni mores vigere possunt, sed in vita tam singulorum hominum et familiarum, quam ipsius nationis, quae ex illis coalescit, protinus mortis signa apparent. Sine religione divinitus data parum valent leges iuridicae legesque morales; vix intelliguntur matrimonii unitas et indissolubilitas, sicut et mutua coniugum fides, parentum officia, liberorum obedientia, itemque civium obligationes erga societatem et patriam: quia sine religione ista omnia non nisi ad hominum nobis aequalium voluntatem reducuntur, non autem ad praecepta Dei, qui supra nos est, qui ratione creationis nobis dominatur et imperat. Unde pius Rex, utpote vir vere religiosus, non solum in propria vita privata, domestica et publica, sed etiam in vita nationis primum regnum Dei

quaerebat Eiusque iustitiam, quia perspectum habebat se exinde caduca quoque bona certo sperare posse ab Eo, qui dona supernaturalia quae, quod valorem attinet, istis neque comparari possunt, larga manu distribuere consueverat hominibus bonae voluntatis.¹⁴

Quapropter varias sui aevi scientias colere studuit,¹⁵ ut eo magis Deum cognosceret magisque firmaretur in fide catholica, quae rationalis obedientia est erga Deum revelantem ad credenda omnia, quae Ipse revelat. Ideo Sanctus Rex in vita privata, domestica et publica eas praecipue virtutes coluerat, quae officiis Regis magis congruebant; ideo vita eius privata et domestica exemplar erat in Hungaria vitae privatae christianorum hominum itemque familiarum christianarum; vita vero publica non Hungarorum tantum, verum etiam omnium regum christianorum vitae normam constituit.

Verus *Apostolus* et propriae gentis *Pater* pro futura inter Europae nationes christianas Hungarorum sorte sollicitus populum suum maxima ex parte paganismo addictum ad amplectendam fidem catholicam eo ferme modo quo Beatus quondam Remigius Episcopus Clodovaeum ad fidem conversurum cohortatus est: „Adora, quod incendisti, incende, quod adorasti!”. Ipse ad fidem convertendo nationem, pretiosissimam Hungaris reliquit hereditatem: fidem catholicam libertatemque filiorum Dei.¹⁶ Quamvis enim maiores nostri ante patriae occupationem a vicinis populis missionariisque Byzantinis, postea vero a fidelibus in nova patria repertis,¹⁷ itemque — maxime Géza Principe — B. Adalberto aliisque missionariis auctoribus¹⁸ religionem catholicam novissent: tamen Hungarorum conversio eorumque cum Roma connexio¹⁹ itemque diversorum Catholicae Ecclesiae institutorum (Archidioeceses, Dioeceses, Capitula, Archidiaconatus, Paroeciae necnon et Abbatiae aliaque Monasteria) fundatio²⁰ omniumque munificentissima dotatio, unde nostri beneficiati pro tuenda patria, pro sublevandis pauperibus colendisque omne genus disciplinis plurimum contribuere valerent, demum cooperante coniuge Gisela istorum institutorum et ecclesiarum paramentis aliisque sacris suppellectilibus liberalissima provisio²¹ fere tota Sancto Stephano adscribenda

est, licet ipse exemplo potius veram fidem docuisset, quam deinde ipso patrocinate Sacerdotes Benedictini saecularesque ardentissimo zelo inter Hungaros in nova iam patria consistentes disseminaverunt.²²

Verum recepta fide catholica eaque propagata, itemque variis institutis catholicis acclasiasticis excitatis S. Stephanus genuinus remansit vir Hngarus. Unde sollicite cavit, ut instituta catholica ecclesiastica in Hungaria — sine certe iurium Apostolicae Sedis deminutione — semper independentia essent a similibus institutis exteris, quibuscum tamen fraternas foverent necessitudines. Vir porro catholicus de fidei veritatibus persuasus libertatem Ecclesiae plurimi aestimavit.²³ Unde more principum catholicorum medii aevi nonnisi titulo Regum a Deo ordinatorum Ecclesiaeque natorum Vindicum in Ecclesiae Catholicae negotiis sese immiscuit; eius tamen auctoritatem semper agnovit et praedicavit suasque circa instituta ecclesiastica actiones Apostolicae Sedi approbandas proposuit.²⁴

De interitu gentium paganarum, quae temporibus generalis migrationis populorum in regionibus a iugo montium Carpiorum cinctis ante Hungaros sedes fixerant, Sanctus Stephanus intellexit populum regnumque suum inter vicinos populos statusque christianos fide tantum Catholica servari posse. Quare *Princeps Catholicus* in oris montium Carpiorum regnum suum secundum principia regnorum christianorum: id est secundum veritatem et iustitiam legesque divinas construxit et gubernavit; optime enim perspexit *iustitiam esse regnorum fundamentum*, resque publicas divinae voluntati ortum debere omnes,²⁵ quas proinde gubernandas esse secundum Dei voluntatem, prout ea lege naturali non scripta itemque lege positiva divina ex ipsa revelatione divina Christi Ecclesiae concredita nobis innotescit. „Non enim est potestas, nisi a Deo”,²⁶ qui Ipsemet affirmat: „Per me reges regnant et legum conditores iusta decernunt”.²⁷ Ideo quod Ecclesiam, Clerum, fidem vitamque catholicam attinet, doctrina fidei et morum ab Ecclesia catholica praedicata itemque ius canonicum eoque intermedio ius Romanum in Beati Stephani regimen, leges et diplomata maximum influxum exercuerunt.

In S. Stephani regno christiano inseparabiliter inter se connectebantur religio christiana et amor patriae, Ecclesia Catholica et ipse Status Hungarus; Princeps demum et populus. Quae felicissima connexio patriae vitam securam reddit. Princeps tamen catholicus Hungarus de futura patriae vita sollicitus ubi subditi et propinqui in supremam eius potestatem et religionem christianam rebellarunt, acerbo quidem dolore vel contra propinquos bellum movere non dubitavit.²⁸

Pro conservanda firmandaque suprema potestate, quam christianis principiis innixam voluit, itemque, ut proprii regni potestatisque regiae independentiam universus orbis agnosceret, tandem, ut regnum suum contra hostes sive paganos sive christianos validum semper adiutorium inveniret: Romano-Germani Imperatoris feudalismo repulso, ac praetermissa temporis consuetudine, non ab Imperatore, sed a Silvestro PP. II. regiam petiit eamque a. 1000 revera obtinuit coronam, quacum exinde secundum Regni Statuta Archiepiscopi Strigonienses legitimos Hungariae Reges ornare consueverunt.

Sacrae Coronae impositio apud nos non tantum functio quaedam liturgica est, verum simul etiam maximi momenti actus iuris publici, quo Princeps coronatus plenam accipit potestatem regiam. Per incoronationem Sancti Stephani sanguis — sacra corona intermedia — supremae potestatis subiectum efficiebatur etiam in successoribus, qui iura sua regia nunquam ad maiores paganos, sed semper ad Sanctum Regem reducebant ab eoque ortum habere fatebantur. Ubi vero iste sanguis istaque Familia cum Andrea Rege III a. 1301 extincta est: secundum nationis persuasionem corona S. Stephani sanguinis eius et Familiae iura ininterrupta veluti portendit; Regem nationemque symbolice connectit, in se continet, personificat omniaque ad Regem iura transfert, quae cum Regni Statutis non discrepant, quorumque fons ultimus Deus est, veluti res etiam iconibus s. coronae apposis allegorice ad oculos demonstratur. Ideo natio Hungarica tunc tantum Principem Regem suum cum plena potestate agnoscit, ubi ei corona S. Stephani legitime iam imposita fuerit. S. Corona, quae modo duabus distinctis partibus: Latina (Silvestri PP. II) et Graeca (Michae-

lis Imperatoris Dukas) coalescit, symbolice pulcherrime ostendit Ecclesiae Christi catholicitatem patriae vero nostrae situm centram inter Occidentem et Orientem, verum etiam affirmat eius ab utroque independentiam.

Regnum autem suum pius Rex non solum fundaverat, sed etiam secundum principia christiana protinus ordinavit et firmavit. Imprimis totis viribus adlaboravit, ut Hungaros nomadum adhuc vitam ducentes ad sedes figendas assuefaceret. Ad quod promovendum quoslibet decem pagos finitimos communem ecclesiam aedificare iussit, simulque praecepit, ut diebus Dominicis praeter infirmos, focorum custodes et parvulos ceteri omnes divinis interessent. Qua lege vigente Hungari cum armentis iam trium tantum dierum itinere ab ecclesia recedere potuerunt, ita ut eorum migratione restricta paullatim stabiles sedes fixerint. Prope ecclesias et monasteria mox pagi efformabantur, qui persaepe nomina Titularium eorundem sibi imposuerunt eaque usque ad hodiernam diem conservant.

Hungaros, qui iam sedes fixerant stabiles, in scholis capitularibus et monasterialibus, in agricultura bene ordinata itemque in divertis artibus colendis ad Occidentis exemplar Sanctus Rex educare curavit. In educanda autem hoc pacto natione Sacerdotes missionarios sive saeculares sive Benedictinos aliosque religiosos, prout etiam hospites, qui ab exertis ad nos transmigraverant, praecipuos et validissimos collaboratores habuit.

Principum christianorum exemplar Beatus Stephanus in legibus suis, quas in nomine Sanctae Trinitatis et individuae Unitatis exorditur, quaeque cum paternis monitis carissimo filio Emerico Duci datis in duobus libris concluduntur, sanctae fidei primum dat locum; filium vero Emericum Ducem commoventibus cohortatur verbis, ut thronum consensurus in rebus fidei catholicae omnibus sibi a Deo subiectis exemplum praebeat.²⁹ Urget Ecclesiae Catholicae dignitatem; altissimum eius servorum (Episcopi, Sacerdotes, Religiosi) et institutorum (Archidioeceses, Dioeceses, Capitula, Paroeciae, Abbatiae, Monasteria, ecclesiae etc.) itemque legum (de sanctificatione dierum Dominicorum, de observantia ieiuniorum, de confessione moribundorum, de honore clericorum, de li-

bertate civium, de libera cuiusque de bonis propriis dispositione, de tutela viduarum et orphanorum, de gravissimis delictis, veluti sunt homicidium, coniugicidium, vulneratio cum gladio, periurium, falsa accusatio, furtum, incendium, alienae domus aggressio, raptus mulieris, stuprum ancillarum etc.),³⁰ demum iurium, libertatis et bonorum patrocinium sibi assumpsit. Sanctus namque Rex optime perspexit in vita rei publicae non sufficere civium necessitatibus sive intellectualibus sive corporalibus, sive materialibus satisfacere operibus culturalibus, socialibus, oeconomicis et caritativis, sed ante omnia spiritualibus eorum exigentiis satisfieri debere, ut in hac iam terra beatus esse possit homo, qui ex corpore et ex anima coalescit.

In paternis praeterea pulcherrimisque monitis, quae sine dubio a S. Gerardo inspirata fuerant, filio futuroque coronae heredi commendat principum honorem, patientiam, iustitiam, consilium, maiorum imitationem atque traditionem, hospitem exterorum receptionem et aestimationem, itemque orationem, pietatem, misericordiam ceterasque virtutes, tandem ipsam pudicitiam.³¹

Spiritu veritatis et iustitiae movetur etiam praeclarum Divi Stephani institutum erectum pro re oeconomica, pro defendenda patria, pro administratione publica et pro exercendo iudicio: institutum aio *comitatum* dictum, quod temporibus procellosis in vita legitima atque millenaria nationis, persaepe fatale erat. Sancti Stephani magnitudo non in subiugatis sibi alienis terris sese explicabat, sed in facto historico Beatum Regem non solum conservasse, verum etiam ad plura saecula ordinasse atque consolidasse, quod nostrum erat. Amor autem ipsius erga propriam stirpem exinde maxime patet quod pius Rex eodem tempore, quo zelo apostolico sapientissimisque documentis pro conservanda natione editis eandem ad amplectendam novam religionem induxit et in nova patria quod rem oeconomicam et politicam attinet, spiritu Christiani Occidentis maximas innovationes peregit: una cum natione Hungarus remansit, qui alioqui maiorum linguae, moribus et traditionibus adhaesit,³² quique in politicis tam intra quam extra Hungarico spiritu totam nationem educavit, cuius independentiam, ubi opus esset, ferro quoque defendit.

Christianum suum Regnum Hungaricum pro futuris quoque temporibus constabilire cupiens Emericum filium, praeclaris corporis, spiritus et animae dotibus ad maiora certe vocatum, vitaeque sanctitate praecipuum, sapientissimo sanctissimoque viro Gerardo in eodem spiritu educandum commisit³³ eique, veluti praesumptivo successori, in republica regenda pulcherrima sapientiae documenta tradidit in immortalibus Monitis paternis, quae exinde primum in Corpore Juris Hungarici atque honoris locum occupant. Christianum itaque Regnum ad finem usque saeculorum constabilire et firmare intendit, ubi — propter praematuram atque tragicam filii usquequaque praeclarissimi mortem sine herede relictus — ante 900 annos die Beatae Mariae Virginis in caelos assumptae sacro, quo et ipse pie obdormierat, cum regia corona totum quoque Regnum suum, Beatae Mariae Virgini, Magnae Hungarorum Dominae, veluti testamento transcripsit,³⁴ quod perbelle inscriptio quaedam Latina saec. XVIII in porta speciosa Basilicae Strigoniensis reperta exprimit: *Suscipe, Virgo Pia, Mea Regna Regenda, Maria.*

Deus usque ad hodiernam diem mirum in modum incorruptam servavit benedictam Sancti Regis Dexteram, qua maximum Ei sacrificium obtulerat; qua nationem severus, semper tamen iustus, gubernabat; qua nonnisi pro veritate tuenda ferrum arripuit, ubi videlicet interni vel exteri hostes reprimendi erant. Incorruptam conservavit Dominus S. Dexteram, quae toties ad orationem pro Hungaris elevabatur; quae diversis institutis religiosis et caritativis regia munificentia dona distribuit, quae pauperibus eleemosynas erogare consuevit, cum maxime frugiferam pecuniae collocationem intellexisset in Ecclesiae pauperumque persona ipsi Christo mutuum dare,³⁵ quod non potest retinere, ut recipiat quod non possit amittere, dare transitoria, ut recipiat hereditatem aeternam.

Quodsi Deus Servum suum adeo extulit, ut sacram eius Dexteram in hac iam terra a corruptione servaret illaesam; si Ecclesia adlaborante Beato Ladislao Rege, ipsum propter vite sanctitatem et miracula³⁶ iam a. 1083 primum ex Europae regibus cum Emerico Duce cumque celebri theologo et martyre Gerardo Episcopo secun-

dum praescriptam tunc formam Ecclesiae *Sanctis* accensuit,³⁷ unde cultus eius in toto mundo christiano universalis redderetur; mirum non est Sancto Regi etiam a natione Hungarica maximum semper fuisse tributum et adhuc tribui honorem, ita ut defunctus per integrum triennium lugeretur, eiusque cultus — quamvis labentibus novem saeculis interdum decresceret — totus tamen nunquam extinctus esset, sed diversa intensitate in civitatibus, in pagis, in cordibus nostris constanter perseveraret. Recte profecto Scriptura: „Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt, quasi stellae in perpetuas aeternitates”.³⁸ Quod quidem luculenter factis comprobatur, nam praeter S. Dexteram aliasque reliquias, festa, Missas proprias et legendas, fere innumerabilia monasteria, ecclesiae, sacella, altaria, calices, paramenta sacra, itemque statuae, imagines, signa, campanae, sacri cantus, preces, permultae porro societates piae, scientificae, instituta, foundationes piae, demum complures civitates, plateae publicae, viae, poëmata profana, opera scenica et nomen in s. baptismo vel confirmatione impositum Sancti Regis memoriam conservant. Unde semper *Sanctus Rex* appellabatur et talis etiam imaginibus repraesentabatur, ita ut usque ad saec. XVI de Sancto Rege poëma profanum scribere eius profanatio fuisset considerata.

Ex hoc nunquam interrupto cultu, quem tota natio Sancto Regi deferebat, intelligi potest plurimos ex proceribus nostris — ex quo S. Dexteram Budae custodiretur — ad Hungariae caput migrasse, ubi quotannis comitantibus ecclesiasticis Dignitatibus Proceribusque nostris et adstante tota natione S. Dexteram maximo triumpho circumfertur, quia nos Hungari cultum quoque Sancti Regis reducimus ad Deum, cuius gratiam in Sanctis extollimus atque pro donis gratias reddimus. Cultu igitur — ut aiunt — *duliae* Sancti Regis nihil divino cultui *latriae* subtrahimus, neque alterum cum altero confundimus. „Non enim nos — ut B. Augustinus de Sancti Regis caelesti Patrono, Ecclesiae vero Protomartyre optime dixerat — aram facimus Stephano, sed de reliquiis Stephani aram Deo”.³⁹ Verum Sancti Regis cultus eiusque festa iubilantia, quae modo celebramus, tunc tantum nobis proderunt, si cultum non solum perdurante iubilantia, sed semper eidem defe-

ramus itemque si virtutes religiosas et civicas B. Stephani non tantum laudare, verum etiam imitari studuerimus. Qui enim Ecclesiae patriaeque primores laudat tantum, sed eos non imitatur, certe vix vere serioque ipsos laudat, quare de hac eadem re perpendere deberet illud S. Joannis Chrysostomi: „Aut imitari debet, si laudat, aut laudare non debet, si imitari detrectat”.⁴⁰

Difficillimis temporibus Protorex noster patriam fundavit, ordinavit et constabilavit nationisque vitam a mala fortuna populorum, qui nobis propinqui erant atque in hac eadem terra stabiles sedes non fixerant, praeservavit. Quotiescunque in milium annorum procellis s. religio patriaeque in discrimen vocabantur: ad Beatum semper Stephanum natio nostra confugit. Rex vero Sanctus potentissimo patrocínio nationem usque ad hodiernam diem semper adiuvit apud Deum, quemadmodum olim populum electum adiuverat magnus ille Jeremias Propheta, de quo Scriptura: „Hic est enim — ait — fratrum amator, qui multum orat pro populo et universa sancta civitate Jerusalem”.⁴¹

Dei patriaeque causam Sanctus Rex sapientia et bonitate, iustitia et fortitudine, spiritu orationis et religionis, aliis quoque prae lucente conscientia, incredibili porro munificentia, sui abnegatione, ardente demum propriae nationis amore et perfecta in divina voluntate resignatione promovere nunquam cessavit. De ipso neque nostri neque aliorum populorum fontes historici quidquam sinistri loquuntur, immo vero virum usquequaque perfectum, gentis autem suae Apostolorum et Patrem, totius aevi notissimum, popularissimum maximaque auctoritate pollentem Regem catholicum, Ecclesiae demum inclitum Sanctum eum exhibent apud populos sive vicinos sive remotos.⁴² Unde etiam toto mundo prae oculis habito merito affirmaveris Sanctum Stephanum unum fuisse ex praeclarissimis Principibus. Quod vero historiam nostram attinet, erat certe vir grandis et a nemine unquam superatus, qui nationem semitis s. religionis ad finem temporarium perduxit et aeternum.

Sanctus Rex spiritu orationis, iustitia et caritate coniunxerat inter se nationem et Regem, statum et ecclesiam Hungaricam, ista vero quattuor inseruit Deo, quia ex inseparabili cum Ecclesia

Catholica usque ad finem saeculorum perseveratura et cum aeterno Deo nexu incessantem nationis regnique sui vitam sperabat. Quae connexio nationis regnique nostri hucusque vitam conservabat, et futurae utriusque vitae certissimum pignus est. Ubi ista quattuor manibus sacrilegis inter se nondum separata sunt: memoria Sancti Stephani floruit apud Hungaros, natio autem religiosa fuit potens atque beata. Ubi vero ista quattuor plusminusve secernebantur: imago S. Regis in Hungarorum cordibus protinus obnubilata est, simul autem etiam ipsa religio et virtus nationis declinare coepit, quare etiam ipsius beatitudo deminuta est. Quemadmodum in casu victoriae sine dubio patriae necem intulissent, qui in Sanctum Regem apertam seditionem moverant: pari modo ipsi regno nostro interitum parant, qui diebus nostris magnum Regem is suis institutis aggrediuntur: actum est enim de natione, quae propria gesta gloriosa negat aut despicit.

Quotquot igitur futura patriae sorte anguntur, maximo hocce iubilaero vehementer exoptant: Utinam gens nostra in cultu Sancti Stephani numquam languente Christi Ecclesiam sequatur, quae memoriam Sancti sui semper fidelis custodivit et custodit, credit enim et profitetur: „Iusti autem in perpetuum vivent”.

Fontium Tabella.

Praetermissis fontibus, qui in *Annalibus Sancti Stephani* adducti sunt, hic sequentes tantum fontes referre placet:

- ¹ Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior, cap. V; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani Regis primi et apostoli Ungarorum, cap. V.
- ² Legenda S. Stephani Regis Hungariae minor, cap. III; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani Regis, cap. V.
- ³ Hartvici Ep.: Vita S. Stephani Regis, cap. XVIII.
- ⁴ Hartvici Ep.: Vita S. Stephani Regis, cap. XVI.
- ⁵ Hartvici Ep.: Vita S. Stephani Regis, cap. VI.
- ⁶ S. Stephani Paterna Monita ad S. Emericum Ducem, cap. VI.
- ⁷ Legenda S. Stephani Regis Hungariae minor, cap. IX; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani Regis, cap. XIX.
- ⁸ Legenda S. Stephani Regis Hungariae minor, cap. VIII, IX; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani Regis, cap. XVI, XIX.
- ⁹ Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior, cap. XIV; Legenda minor eiusdem, cap. V, VII; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani Regis, cap. VI, XV.
- ¹⁰ Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior, cap. V; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani Regis, cap. V.
- ¹¹ Vita S. Gerardi Ep. Chanadensis, cap. VIII.
- ¹² Legenda S. Stephani Regis Hungariae minor, cap. V; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani Regis, cap. VI.
- ¹³ Proverb., V, 22.
- ¹⁴ Matth., VI, 33.
- ¹⁵ Legenda S. Stephani Regis Hungariae minor, cap. III; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani Regis, cap. V.
- ¹⁶ Rom., VIII, 21.
- ¹⁷ Epistola Piligrim Ep. de conversione Ungarorum ad Bened. PP. VII (a. 974).
- ¹⁸ Legenda S. Stephani Regis Hungariae mior, cap. II, IV; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani, cap. III, IV.
- ¹⁹ Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior, cap. VI, VII; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani, cap. VI, VII.
- ²⁰ Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior, cap. VIII.
- ²¹ Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior, cap. X, XI; Legenda minor eiusdem, cap. VI; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani, cap. X, XVII.
- ²² Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior, cap. XI; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani, cap. XIII.
- ²³ S. Stephani Paterna Monita ad S. Emericum Ducem, cap. II.
- ²⁴ Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior, cap. VIII; Legenda minor eiusdem, cap. VII; Hartvici Ep.: Vita S. Stephani, cap. VIII, IX.
- ²⁵ S. Stephani Paterna Monita ad S. Emericum Ducem, Praefatio.
- ²⁶ Rom., XIII, 1.
- ²⁷ Proverb., VIII, 15.

²⁸ *Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior*, cap. VI; *Legenda minor eiusdem*, cap. V; *Hartvici Ep.: Vita S. Stephani*, cap. VI.

²⁹ *S. Stephani Paterna Monita ad S. Emericum Ducem*, cap. I.

³⁰ *Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior*, cap. IX.

³¹ Cap. IV—X.

³² *S. Stephani Paterna Monita ad S. Emericum Ducem*, cap. VIII.

³³ *Vita S. Gerardi Ep. Chanadensis*, cap. IX.

³⁴ *Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior*, cap. XI; *Hartvici Ep.: Vita S. Stephani*, cap. XII, XIX.

³⁵ *Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior*, cap. XII, XIII, XV; *Hartvici Ep.: Vita S. Stephani*, cap. XIV.

³⁶ *Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior*, cap. XIV; *Legenda minor eiusdem*, cap. VII, X; *Hartvici Ep.: Vita S. Stephani*, cap. XV, XIX—XXIII.

³⁷ *Legenda S. Stephani Regis Hungariae minor*, cap. X; *Hartvici Ep.: Vita S. Stephani*, cap. XX.

³⁸ *Dan.*, XII, 3.

³⁹ *Sermo* 318.

⁴⁰ *Sermo de martyribus*.

⁴¹ *II. Machab.*, XV, 14.

⁴² *Legenda S. Stephani Regis Hungariae maior*, cap. VIII.

OSZK

Országos Széchényi Könyvtár